

Ill/me et R/me D/ne.

Quamvis certo certius noverim Ill.D.V. fictis narrationibus et  
nugis R.Celsi abbatis et P.Cuveronii provincialis aliorumque Franciae  
Coelestinorum edoctam, non ita, ut solita erat, sereno oculo, nos  
5 nostraque intueri: attamen ne Letheis ingratitudinis undis plurima  
beneficia a vobis accepta obrui patiar, aut partes veritatis deser-  
uisse, me aliqui putent et dicant, has humilitatis et obedientiae  
calamo litteras Ill.D.V. scribere decrevimus. Nollem enim Ill.D.V.  
nos coenosa oblivionis beneficiorum abyssio immersos opinari, aut op-  
10 erculo silentii puteum Democriti occludere, ne veritas in medium pro-  
deat, existimare. Beneficia gratias immortales expetunt, et veritas  
cancellos taciturnitatis egredi imperat. Vera autem coram Deo et  
Ill.D.V. loquar. Nam cum crastina luce exacto tyrocini nostri anno  
monastica Deo iterum vota sim nuncupaturus, et per professionis Be-  
15 nedictinae reformatae commercium, quasi secundo baptismo, omnium pec-  
catorum veniam consecuturus sim, satius esset vitae nostrae stamina  
dissecari quam falsa loquendo aut vera tacendo tale absolutionis com-  
modum spernere aut impedire. Mense Maio anni proxime elapsi cum Bene-  
dictinorum reformationum congregationem perfectam peterem, et deposi-  
20 ta veste Caelestinorum habitus illius insignibus decorarer, si bene  
memini, Ill.D.V. nos maximam quaerimoniarum segetem adversus dictum  
Celsum habere scripsimus, nolle tamen eas in medium proferre, sed  
potius reformationis ablegatae, et nostrae innocentiae laesae nego-  
tium Dei providentiae committere velle, ut nobis bene esset adversa  
25 multa pro justitia et reformatione pertulisse. Verum quia Celsus qui-  
cquid perpetam egit in nostro negotio nova et inaudita arte, breve  
subrepticium ipso facto nullum et irritum per foedera sive concordata  
inter Sedem Apostolicam et nostros Reges inita, obtinens, tueri  
vult et defendere, operae pretium duxi beneficia ab Ill.D.V. accepta,  
30 narrando totius historiae veritatem paucis contrahere; non ut denuo  
litigetur, sed ut Ill.D.V. videns nos injurias amore Dei remittere

/ et oblivisci, suorum clientum et filiorum catalogo ascribat et solita et antiqua sui amoris benevolentia prosequatur. Maximum, ut gemino ab ovo exordiar, a quindecim annis, munus nobis Dei providentia contulit, quando statim post SS. Pauli V in cathedra S. Petri hodie sedentis electionem (cum Celso tunc generali procuratore coram tribus cardinalibus decertabamus) Ill. D. V. protectoris Coelestinorum onus aggredi et amplecti videre concessit. Nam tum nobis subjectionis familiaritatis et amicitiae vestrae conquirendae semina Christus subministravit; quae cum salutationis et obedientiae exhibendae causa terrae mandassemus, ingentem non multo post gallicanae Coelestinorum provinciae messem gaudiorum et virtutum attulerunt. Cum enim ad provincialatus apicem erecti - et omnium patrum calculis promoti -, sub tanto onere succumbere vereremur, laeto animo litteras Ill. D. V. accepimus et legimus, quibus non tantum nostro defungi offitio, sed et reformationi provinciae, quam in multis et praecipuis defecisse se scire dicebat, invigilare sedulo et adamussim praecipiebatur. Cumque jussu Ill. D. V. duo noviciatus in urbibus Parisiensi et Avenionensi erexissem et totidem collegia philosophiae instituissem variasque reformationis exactae leges ante neglectas promulgassem, Illa mirum in modum laetata est, et animum ad meliora suis litteris exequenda addidit. Coelestinis autem tumultuantibus, reformationem expungere tentantibus, et coram senatoribus supremis litigare compellentibus, Nuncio Apostolico ut suppetias ferret et auxiliaretur Sanctitatis suae nomine et mandato Ill. D. V. scripsit. Cum etiam statim postea contra jus omne vi et violentia carceri mancipatus essem, Ill. D. V. nostros reformatos Avenionenses protegere prudenter et sedulo reformationis et innocentiae nostrae negotia procuravit, et nos tandem e manibus adversariorum eripuit libertatique reddidit. Verum cum libertate nostra stupefacti et conterriti causa decidere certiores essent adversarii, vellentque hoc omen avertere, et iudicem dictum Celsum a nobis justis de causis recusatum petiissent, Ill. D. V. nescio quo suggerente omnia utcumque credere et eorum partes sequi visa est, Cel-



/ sumque Galliam petere et partibus jus dicere a summo pontifice impe-  
travit. Cum autem ut Ill.D.V. satisfacerem, Celsum conditione appo-  
sita admissem, vidissemque eum non ut judicem sed ut hostem agere,  
5 injustamque sententiam pronunciasset ad appellationis praesidium con-  
fugi. Quare Celsus illico capitulo provinciali congregato, virum ad  
provincialatum in constitutionibus sub anathemate ipso facto incur-  
rendo promoveri vetitum, egligi callide curavit, et patres omnes (hoc  
pro merced~~ex~~sententiae praetensae promissum erat) perpetuam obedien-  
tiam a ducentis annis praescriptam praetextu reformationis, illi et  
10 successoribus exhibere jurarunt et subsignarunt. Ut autem tacerem et  
appellationis jura non prosequerer, patentes authenticas quibus sua  
praetensa sententia corrigitur et emendatur offert et tradit, confir-  
mationemque reformationis nostrae in monasterio Avenionensi observa-  
tae est pollicitus. Sed cum de sententia emendata patentibus conque-  
15 ri adversarios cerneret, obligationem reformationis Avenionensis et  
praetensae sententiae a Sede Apostolica confirmationem, nescio quo  
aquilone agitante promittere cepit. Avenionem igitur profectus Cel-  
sus promissorum et justitiae immemor, reformationem ablegat, reforma-  
tos hinc inde dispergit, priorem proprioremque, reformationis colum-  
20 nas, in ordinem redigit. Hac clade perspecta et omnimodam reformatio-  
nis ruinam intuentes, illi patres et nos cum aliis favente Ill.D.V.  
licentiam ad aliam congregationem convolandi majoris perfectionis c  
conquirendae causa promissam petivimus, obtinuimus et laeti suscep-  
imus. Ne autem sententiae praetensae et correctae assentiri videre-  
25 mur, paulo antequam Benedictinorum reformationum noviciatum proficis-  
ceremur, appellare ab ea iterato publico instrumento necesse esse ra-  
tio et conscientia persuaserunt. Nam exemplar dictae sententiae quam  
nolebat Celsum me videre cujusdam monachi reformationi addicti dili-  
gentia nactus, ut illud legi obstupui et vox faucibus haesit. Salvo  
30 etenim Ill.D.V. honore et illius pace, tot falsitates, mendacia, contu-  
melias, calum~~un~~ias, nullitates, gravamina, abusus juris et facti errores

/ intolerabiles exaratas conspiciens aliter facere non potui. Quis enim putasset monachum abbatis nomine insignitum ita justitiam pedibus proterere, et per fas et nefas reformationem et monachum virtute decoratum (ita suis patentibus nos appellat Celsus) opprimere et prof-  
5 ligare licere crederet et fecisset. His rite dispositis tyrocinii monastici et reformati coenobium in agro Pictaviensi profecti sumus et rebus divinis intenti quid postea accideret ad haec usque tempora ignorassemus nisi quidam monachus dicti provincialis mandato, sexto mense noviciatus nostri supra dictum breve subrepticium et nullum si-  
10 gnificatione authentica intimasset, et quasdam litteras Ill.D.V. ostendisset, quibus quae calliditas et conscientia pungens nobis insciis excogitavit agnovimus. Ill.enim D.V. his litteris,ut initio diximus, nugis et calumniis adversariorum fidem adhibere, nos iterum vel-  
le litem agitari et principum mendicatis suffragiis neglectoque ad re-  
15 formatissimam Benedictinorum congregationem transitu huc illud discurrere et per saecularium domos divagari, credere ostendit. Sed annus nostri noviciatus favente Dei gratia peractus hoc falsissimum satis aperit,nec alia probatione ad haec mendacia detegenda opus est. Per breve autem significatum agnovimus Celsum antequam vidissemus suae  
20 praetensae sententiae et correctae gravamina et ab ea de novo provocassemus, illius callidam confirmationem obtinuisse. Nonnulli asserunt illud opera Ill.D. V.obtentum esse, miranturque doctiss.et acerrimum haereticorum hostem rerumque spiritualium notitia pollentem Cardina-  
lem inauditis partibus ita procedere. Non est tamen mirum Celsum Ill.  
25 D.V. circumvenisse, cum humanae miseriae conditio sit talis ut reorum oppressorum maximum crimen sit innocentia; sed omni admiratione dignum ut cardinalem sanctum et doctum,ita adversarum partium verbis et nugis decipi. Sane si Ill.D.V. utriusque juris aut saltem canonici laurea donatam habuissemus,sicut illam theologiae et controversarum re-  
30 rum palmam tenentem possidemus; nec innocentia nostra nec Coelestino-  
rum reformatio oppressae et ablegatae essent, imo vigerent et in regno



/ Galliae sole clarius fulgerent. Verum benedictus Deus qui aliter sua bonitate providit, ut fatear coram Illo et omnibus hominibus me quicquid desideravi et multo plura ab eo accepisse et frui. Nam potius vitam cum morte commutarem quam tyrocinii nostri honore spreto, non  
5 dico provincialatus magisterium aut abbatialis generalatus infulas, sed archiepiscopatus Toletani divitias et dignitatis apicem oblatum accipere. Sed ad breve subrepticium revertamur. Si Ill.D.V. verbis Celsi credens illius expeditionem juvit, rem gratissimam nobis et multis fecisse gaudemus. Nam reformationis et innocentiae nostrae lu-  
10 men utcumque nubecula sententiolae praetensae et correctae per patentibus obtectum, suo splendore redditur, per illud, et injustitiae judicis partiumque adversarum violentiae omnium aspectibus patefactae cognoscuntur et exploduntur. Quae justitia innocentem et sufficienter inauditum condemnare, sententiam patentibus emendare, et quod correctum  
15 est postea confirmari petere et obtinere? Si dixisset Celsus sententiolae nigredinem albo calculo patentium suarum tersam et deletam, breve confirmationis Sanctitas Sua non concessisset. Sed et si Summo pontifici et Ill.D.V. narrasset diplomate regio illi jus in lite nostra dicere salvis appellationibus concessum esse, et in concordato  
20 inter Sedem apostolicam et reges nostros inito, a quacumque sententia usque ad tertiam conformem appellari posse, statum fixum et ratum esse, nunquam breve quo nobis silentium imponitur, obtinuisset, cum illius obreptio, subreptio et abusus, ut loquuntur Galli, sole meridiano clarius patescant. Sed Celsus cum defectionem Coelestinorum a juris-  
25 dictione postmodum generalibus concessa et subsignata vereretur (sententiae per patentis correctionem aegre ferebant illi) et ne iudices deputandi injustitiam et caetera perperam acta, paenae et famae restitutioni obnoxia esse declararent, breve subrepticium petere ausus est, non prospiciens se in Scyllam, Charybdim vitando, incidere. Quam bonus  
30 et justus est Dominus, qui innocentes protegens, ita adversarios caecutire permittit, ut in foveam quam foderunt corruant! Sed Ill.D.V.

/ caetera proseguamur. Si iudicis Celsi et partium adversarum genio impelleret, quid non turbae darem, quales non excitarem tragaedias? Sane coelum et terram commoverem, senatorumque supremo iudicio sententiam praetensam et breve irrita, nulla, inania et abusiva dici, et  
5 iudicem partesque ad interesse, expensas, famae restitutionem, reformationis profligatae integrationem condemnari obtinerem. Hoc Celsus et partes merentur, et concordatum praedictum praecipit. Verum quia fieri non potest, nisi etiam breve apostolicum censura parlamenti notetur, absit ut ego qui auctoritatem Sedis Apostolicae suspicio, colo  
10 et veneror, hoc exequar; imo potius supplicio publico moriar quam, non dico perpetrare, sed cogitare. Sufficit patere hoc breve esse subrepticium et ipso facto nullum: <sup>quod</sup> quid tamen tanquam innocentiae nostrae monumentum, et iniustitiae iudicis testimonium posteritati consecratum conservabimus. Nam qui denegat oppresso appellationis propug-  
15 naculum illi a natura et legibus concessum, et qui lumen iudicum deputandorum fugit, se pessime egisse et iudicasse manifestat. putabant iudex Celsus et partes adversae hoc brevi <sup>technas</sup> <sup>tergnas</sup> iniustitias et oppressiones suas occultare, illoque nobis et reformationi omne appellationis et in integrum restitutionis praesidium impediri: sed illis  
20 tanquam Herculi clavam extorqueo, eosque puerum Davidem sequens, qui caput Goliath illius gladio amputavit, propriis armis confodio. Verum licet ego de brevis abusibus manifestis non conquerar, attamen timendum est ne procurator regius aut alii querelam moveant. Ne autem id accidat quaeso ut a Celso pollicita licentia omnibus Coelestinis nos  
25 sequi desiderantibus nostram aut aliam congregationem reformatam petendi concedatur. Nam multi sunt qui eam taciti expectant, et qui forte quamprimum, nisi detur, ad parlamenti senatores provocabunt. Si talem gratiam illis procuravit Ill.D.V. ea conditione ut in sex mensium spatio a notitia uti possint, si ea gaudere velint, omnibus ansa et  
30 occasio appellandi et litigandi subtrahetur: et ut id facilius fiat nostris, nuncium mitto appellationibus, et procurationis jurisque ces-



/ sionem revoco. Humillime igitur Ill. D.V. exoratum velim ut ubera apostolica aperiat, et praedictos Coelestinos lacte hujus licentiae probatos ad perfectionis majoris pascua colloceat. Verum exoptamus Ill. D.V. scire nostras preces ita in medium proferre, non ut extorqueamus quae petimus, sed ut tantum si arrideant, illud quod cupimus consequamur. Nam etiamsi (quod non credimus) repulsam patiamur, omnia tamen jurgia, lites et contentiones, appellationes et caetera silentii sepulchro recondemus, ut cum Apostolis gaudens procedam a conspectu concilii, quoniam dignus habitus sum pro reformatione et justitia  
10 carceres, ferreos compedes, calumnias, injurias, exilia, inediae et contumelias pati. Interea autem Ill. D.V. immortales gratias ago, tantorum beneficiorum memoriam imis infigens medullis, ut quotidie sacrosantum Deo Filii sui holocaustum offerens vestri meminerim, et Ill. D.V. vota et preces exaudire dignetur Deus, omnem in hoc et in altero saeculo felicitatem largiatur et concedat. Antequam huc venire Ill. D.V. pro monialibus xenodochii Aurelianensis scripsisse me memini, ut certiores redderentur an possent indulgentiis utriusque sexus regularibus concessis gaudere. Si illas illo favore dignas judicaverit Ill. D.V. eorum devotioni consultum erit. Quoniam autem R. Celsus abbas praecipit, et provincialis Coelestinorum promisit centum aureos nummos  
20 Chartusianis de Bourfontaine pro expensis nostris, et id negligunt Coelestini, ut prior Chartusianorum nuper nobis scripsit, bonum esset, si Ill. D.V. videretur, praecipere illam summam persolvi, ne ista lis coram iudicibus saecularibus agitetur. Vale Ill. D.V., et nostri, si placet, in orationibus recordare, nam sum usque ad aras Ill. D.V.

Humillimus et obsequentiss. filius et orator

D. Benedictus Campigny,

reformatus Benedictinus

30 Ex agro Pictaviensi, in monasterio Nobiliacensi ordinis S. Benedicti reformatae congregationis S. Mauri die 18/a Junii 1620.